
HEROVM SEMITA
HOC EST
NOBILES CONATVS
AD IVRIS VTRIVSQVE SAPIENTIAM
CHISIANI SIDERIS
AVSPICIO COMPARANDAM
TERNA CHARITVM MODVLATIONE DECANTATI
IN AVLA MAXIMA ROMANAE VNIVERSITATIS
DVM
IOANNES ANGELVS AB ALTAEMPS
S. D. N. CVBICVLARIVS INTIMVS
ACADEMIAE INTRECCIATORVM PRINCEPS
CONCLVSIONES EX VTROQVE IVRE
PRO LAVREA SVSCIPIENDA
SVB
ALEXANDRI VII. P. M.
PATROCINIO PVBLICE PROPVGNABAT
ASSISTENTE D IOSEPHO CARPANO ROMANO I. V. D.
Et in eadem Romanæ Sapientiæ Vniuersitate
Iuris Ciuilis in Prima Sede Vespertina Professore Ordinario,
ac eiusdem Academiæ Rectore.
Anno 1665. *Mense* *Die* *Hora* 21.




ROMAE, Ex Typographia Ignatij de Lazaris. M.DC.LXV.

SVPERIORVM PERMISSV.



ALEXANDRO VII. PONT. MAX.

IOANNES ANGELVS AB ALTAEMPS

F E L.






OS Literarij laboris mei quantulofcunque fructus ante Tuos pedes Tibi offero BEATISSIME PATER non folùm amplifsimo titulo, quòd Maximus Princeps emines, fed pe-

culiari etiam nomine, quo priuatus excellis. Quamuis enim supremi Principatus splendor adeo intuentium oculos per se oppleat, vt ad priuata Principis decora discernenda vim adimat; singulare tamen, ac Tuum est, vt in luce Pontificiæ Dignitatis non hebetetur in Te propriarum dotium fulgor, sed gratiùs potius, digniùsque colluceat. Hinc ego Tuos CHISIOS Montes, ac Sidus, Tua nimirum gentilitia; & quasi priuata ornamenta ad meam lauream decorandam proposui, quibus virtutis, ac sapientiæ Tuæ, & præcelsa claritas, & ardua sublimitas exprimuntur, & Heroum quasi via signatur ad molimina Herculeis laboribus planè digna. Si Te nunc in fastigio celsitatis ALEXANDRVM Orbis terrarum veneratur, idem ad-

miratus olim Te fuerat FABIVM CHISIVM in priuatæ virtutis, doctrinæque eminentia heroici decoris exemplar omnibus omnino partibus absolutum. Propria siquidem, ac Tua sunt, ea morum, & suauitas, & integritas; & in omni sapientiæ genere literatura, & prudentiæ, solertiæque præstantia, & pietatis, iustitiæ, liberalitatis, omniumque virtutum amplitudo, quæ Populorum, ac Principum omnium oculos, animosque ad Te priuatum, Tuisque solùm ornatum dotibus pertraxerunt. Atque hæc profectò prima fuère non publica, sed priuata suffragia, quibus non Tu quidem creatus es Pontifex; sed Tua creatio in Suffragantium animis firmata est. Quare meritò è Tuis etiam priuatis ornamentis, vel in summo Principatu fulgen-

tibus; patrocinium mihi peto, cum & ipsa adeo Tua sint, vt nihil habeant alieni, & non solùm accessione dignitatis immensæ obfuscata non sint; sed lucem potius ipsi comparent dignitati, quæ certè tunc maximè lucet, cum virtutis excellentia sustentatur.






AD LECTOREM.





APIENTIA Poëtarum fuit, vnde diuini nomen meruēre, speciosis fabularum inuolucris veritatem obtegere, vt ipsius fulgor tanquam solis radij per nubila in termicantes, eò gratiùs hominum animis afflare tur, quò incundiùs per ambages similitudinis interluceret. Hoc equidem consilio ad explicand am festiuiùs laboris à me susceptirationem in decerpendis lab oriosæ doctrinæ fructibus, nobilem hic fabulam exposui, cuius ductibus, & quasi coloribus rei veritas non tam fucetur, quàm exornetur. Apellis arte Hortos Hesperios huc adductos vides, & mu ltiplici montium iugo aduersus aggressorum impetum obuallatos, & florulenta sepe, qua muniuntur simul, & ornantur, decorè præcinctos. Affulget supra montes patrium Hesperidum sidus ad peruigilem loci tutelam. Sed Heroibus nihil arduum, nihil impermium. Hercules amici sideris ductu per ipsa montium iuga iter molitus, interfectoque custode potitus Hortis, Hesperid um obsequium obuiam habet, quæ & inuicti conatus exitum Vi ctori gratulantur, & aureapoma, floreumque sertum deferunt victoriæ præmia. Iam animo præuerteris, amice Lector, quò sub iectæ rerum imagines tuam mentem compellant. Iuris disciplinas haud immeritò munitissimos hortos dixerim, in quibus tres animæ facultates aureo legalis sapientiæ pabulo oblectantur, ac nutriuntur: neque

floridæ ſepis ambitus deſideratur, eo quippe noſtræ Academiæ teſſera inſignitur, qua per eiuſdem Iuris facultatem literis humanioribus immixtam, veluti per intextam Floribus Sepem INTRECCIATORVM ACADEMIA nuncupatur. Sed hic veniam à te petam, ingenue Lector, ſi mihi perſonam Herculis arrogo. CHISIANI patrocinij virtus eſt, Hercules reddere clientes ſuos. MONTES, & ASTRVM, auguſta CHISIORVM ſtemmata magnanimis Heroum conatibus viàm aperiunt ad præcelſa facinora, & dum propitio affulgent lumine, itineris difficultatem mitigant: quin etiam imbecillioribus vires, animosq. ſuppeditant, quibus vel ad Heroica nauiter enitantur. Quare ne mireris, ſi me ſub Hercule tuearis; MONTES, & SIDVS reſpice, quæ Alcidas non tam excipiunt, quàm procreant ad proterendum malignæ voluptatis anguem idoneos, & ad aurea ſapientiæ mala potiunda præualidos. Id vero vel ſupra votum feliciter conſequar, quando literarij Herculis perſonam gero in ALEXANDRI Pontificis Maximi clientela, qui & ſui virtute Patrocinij conatus meos animat, & ſuarum fulgore doctrinarum amplè irradiat, ſolidèque confirmat.



CHA-



CHARITVM
PRIMA MODVLATIO
ODE I.



NVllus Alcidem truculentus horror,
Nulla deterret facies laboris:
Arduum quicquid videt, irretorto
Edomat ausu.
Hesperi frustra nemus, & beata
Montium cingit series vireta,
Veris æternum decus, aureisque
Ditia pomis.

Sideris ductus radijs amicis
Inuium signat, graditurque callem,
Vix & Heroum superanda plantis
Culmina calcat.

Mox ad optatos generosus hortos
Ora conuertit, celeremque gressum;
Nec sibi quicquam pauet irruentis
Sibila monstri.

Aurei custos nemoris cerastes
Mille in Alcidem vomit ore pestes,
Exerit dentes, vibrat, & trisulcæ
Fulmina linguæ.

Ille monstrorum domitor venena
Spiritu difflat, capitique vulnus
Incutit claua; furor & perempti
Languit Hydri.

Dona Victori pretiosa Nymphæ
Obuiam plenis calathis ministrant
Poma, quæ fuluo, teneroque silua
Educat auro.

Attamen longè tibi maior Altæmps
CHISIVS fulgor rutilat sereno

Axe decurrens, tua dum benignus
Vota secundas.
Hâc per Heroum via certa Montes
Luce signatur, pede sed terenda
Herculis tantùm, reliquis negatur
CHISIVS ignis.
Ergo tam clara præeuntis astri
Luce deductus cape doctioris
Palladis fructus, Themidisque felix
Carpe labores.
Illa seu legum sacra, seu prophana
Iura disponat, quibus æqua rerum
Pondera, & quicquid sibi fas reposcit
Sedula librat.
Cæsarum leges, tripodisque sacræ
Scita, maturæ tibi larga messis
Dona prætendunt, lege poma flauo
Fœta metallo.
Hinc & intextum per amœna sepis
Terga ver Pallas tibi mitiori
Excolit dextra, studijsque miscet
Læta seueris.


Ergo sub tanto Duce nulla vastis
Meta sit votis: tibi finge sortem;
Arduum quicquid cupias, tenebis
CHISIUS Heros.





CHARITVM SECVNDA MODVLATIO

ODE II.



QVis per CHISIOS nobile Montes
Nouus Alcides molitur iter?
Cui & auriferi nemoris custos
Peruigil anguis iacet ante pedes?
Hic est magni nominis hæres,
Procerumque genus strenuus Alexander,
Illum virtus nescia parui
Ad summa rapit, meritaque parat


Cin-

Cingere lauro; sedula Pallas
Cui læta suos inter alumnos
Auidum laudis, decorumque capax
Pectus opimis dotibus ornat.
Tibi diuini peruia Iuris
Arcana patent; tibi Cæsareum
Grandia pandit scita tribunal;
Tibi per sepem sparsa corollas
Nutrit odoras copia florum,
Quos festiuis iuncta Camœnis
Colit altricis cura Mineruæ:
Hæc Herculeos serta labores,
Hæc poma decent; nemus Hesperidum
Non nisi docto premitur nisu;
Solo Heroum calcanda pede
Hæc iuga monstrat CHISIVM Sidus.
Qui sublimi ceruice grauem
Vaticani Maximus Athlas
Sustinet Orbem, tua ridenti
Placidus vultu cœpta secundat.
Hic virtutem semper amico
Lumine cernit, plenoque sui

Beat

Beat obtutu, ſimilem namque
Sibi quiſque cupit reddere formam,
Alioque ſuas iuuat in vultu
Viſere laudes: hinc ille nouis
Semper donis prodigus ornat
Quos ad magnos maſcula virtus
Excitat auſus, quibus inuicto
Sudore fluit frons palladio
Firma ſub æſtu, turpiſque labor
Otij impatiens ardua captat.
Ille aſtrorum Principis inſtar
Quacunque patet via diſpenſat
Ampla ſerenæ fulgura frontis.
Ille nec imas refugit valles,
Nec lutulentis donare iubar
Renuit glebis; Omnibus idem
Omnia luſtrat face vitali,
Siue abiectas lumine ſordes,
Seu gemmarum fulgur inauret,
Sua lux æquè candida fulget.
Hoc ille tamen longè ſuperat
Lampada Phœbi, quód hic extinguat

Luce minores proximus ignes,
Ille minores meliore replet
Propior ftellas munere lucis:
Sic in totidem vertere foles
Propiora fibi potis eft aftra,



CHA:



CHARITVM
TERTIA MODVLATIO
ODE III.



LEgum colonæ Palladis aurea
Iam victor Heros poma capeſſito;
Quos illa per ſepis reflexus
Implicuit, tibi carpe flores.
Sunt hæc labori præmia mentium,
Quæ celſa legum culmina permeant,
Iurisque per cæcos receſſus
Herculeis ſpatiantur auſis;

Quæ nec Mineruæ carpere negligunt
Ver florulentum, Iuris & auream
Seueritatem lætiore
Pieridum redimire ſerto.
Prærupta quamuis per iuga montium
Vix vlla detur ſemita, non tamen
Molimini Heroum negatur
Per CHISIOS via certa Montes.
Non hâc paratur callis inertibus,
Non fraudulentis; deſes, & improbus
Arcentur illinc, vlla turpi
Rimula nec vitio pateſcit.
Huc alma virtus, huc pietas mouent
Ad ſum ma greſſus; hæc iuga Palladis
Artes frequentant, atque laudis
Egregium decus inde quærunt.
Hâc fauſtiores Pieridum cohors
Ducit choreas, dignaque Delio
Hinc ſumit argumenta plectro;
Hîc fruitur meliore Pindo.
Sic nempe Virtus CHISIA nobiles
Exercet artes; ſic ſapientiam,

Sic æquitatem; sic decentes
Imperium: tolit illa mores.
Abiecta nescit, paruaque despicit;
Ad magna solùm nititur ardua;
Summæque virtutis labore
Magnanimo decora ampla sumit.
Sublime Sidus quàm benè CHISIÆ
Erecta mentis consilia explicat!
Montesque congesti præalti
Ingenii speciem colorant!
Hic CHISIORVM germen, & inclyta
Non vsitatis gesta canunt modis,
Laudesque Maiorum vetustas
Laude noua cumulant Nepotum.
At Vaticano soluere Principi
Tributa laudum, fit nimius labor;
Quàm sæpe ALEXANDRI retentat
Grande tubis iterare nomen!
Conata quamuis se dolet imparem
Haud posse tantum, quo deceat sono,
Implere nomen; quidquid ausit
Promere, re minus id sonabit.

Tam

Tam plena cælo pectora non nisi
Vox plena cælo laudibus efferat:
Laudesque virtutem decentes
Non capiet nisi vastus Aether.



Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

O. Archiep. Patrac. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Libellus Sac. Palatij Apost. Mag.

